B. N. C.
FIRENZE
1006
40

1006.40

A

XXXIX

IN TERTVL.

GAVD.

1006.40

PAGANINI GAVDENTII I. C.
de FRAGMENTO TERTVLLIANEO,
Et
CHARTA *DONATIONIS* ANTIQVA
EPISTOLÆ TRES.

Caſsiano Equiti de Puteo. Romam.

MAGNA cum voluptate perlegi chartam donationis recens emiſſam à Suareſio, auctoritate Illuſtriſsimi Cardinalis Barberini. Vtinam plura quotidie euulgentur. nam ſic antiquitates Eccleſiaſticę magis ac magis illuſtrabuntur, & omnes rerum ſacrarum ſtudioſi certatim Eruditiſſimi Principis nomen ad ſidera extollent. Ego inter omnes minimus non patiar me ab vllo vinci. Cęterũ vt videas aliquem fructum à me ex huiuſmodi lectione eſſe perceptum, age hęc paucula, quę mihi raptim ſcribenti in mentem venerunt, lege, & expende pro tuo optimo iudicio. In Charta ferè ſub initium ſic legitur: ***Et ingruentibus præ temporum prolixitate artis tectum, reparationiq; ſumptus hoc noſtro munere collatus deeſſe non poſſit.*** Quid ſibi vult illud ***artis tectum***? Suareſius emendat, & legit: ***fartum tectum*** Non video, quem locum habere poſſit fartum in tecto. Viri Eruditi ad illud Plauti in Mil. Glor. act. 1. ſc. 1.

Quæ miſera geſtit fartum facere ex hoſtibus

annotauerunt idem eſſe ferè fartum, quod eſt caro conciſa in fruſta. vult namq; miles glorioſus ita concidere, & conterere hoſtes, vt ſolent in minima fruſta ſecari carnes, quæ farciuntur ad fartum. Ego exiſtimarim legendũ: ***ſartis tectis.*** nam apud I. Conſultos re-

1372

ceptiſſima ſunt, & notiſſima ſartatecta; quando de reparandis ædificiis agitur. D. de vſufructu l. 7. §. *Quoniam igitur omnis fructus rei ad eum pertinet, reficere quoq; eum ædes per arbitrum cogi Celſus ſcribit. Celſus* l. XVIII. *hactenus tamen, vt ſartatecta habeat*, & paulò poſt *Celſus de modo ſartatecta habendi quærit, ſi quæ vetuſtate corruerunt reficere nõ cogitur*. l. 11. de Conditis in publ. horreis C. *nã ſi per incuriam officij grauitatis tuę ſartorum tectorũ non neglecta procuratione, aliqua pluuijs infecta perierunt, ad damnũ tuum referentur*. Marcell ad l. Iuliam Repetund. Ne *in acceptum ferantur ſartatecta tuenda, antequam perfecta, probata, præſtita, lege erunt*. Imò, & Vetus Interpres latinus ſ. literarum ſic habet l. 4. Reg. *Quare ſartatecta non inſtauratis templi?* & rurſus: *vt inſtaurent ſartatecta domus, ſi quid neceſſarium viderint inſtauratione*. Quæ iampridem ab alijs obſeruata fuerunt. optime igitur habebit, & locus, & ſenſus, & verborum ſtructura, ſi legamus: *Et ingruentibus* (ſiue *corruentibus*) *præ temporum prolixitate ſartistectis, reparationiq; ſumptus hoc noſtro munere collatus deeſſe non poſſit*. ſi legamus: *fartum tectum*, quò referetur illud: *Ingruentibus?* Iam quęſiuerit aliquis quid ſit *Maſſa?* in illis verbis: *Maſſa iuris noſtri à me conſtituta* memini eorum, quę ſcribit Seruius ad VI. Æn. *Virgilius pro hoc* (carmine) *ære graui donatus eſt, id eſt, maſſis. nam & Liuius argentum graue dicit, id eſt maſſas*, vt maſſę apud Seruium ſint argentum non ſignatum, non

Conciſum in facies, tituloſq; minutos.

ſed hic ſignificatus nihil ad rem noſtram facit. nam poſtquam Maſſæ facta eſt mentio, ſingulatim memorantur fundi. Ergo Maſſa nihil aliud eſt, quam villa, quæ plures habet fundos. nam & hodie Itali quicquid coaceruatum eſt, Maſſam vocant. Quæ in hac Charta dicitur Maſſa, in Formulis Vetetibus *Manſus & Colonica*, de quibus eruditè ſcribit Bignonius ad Formularium Marculphi, & incerti ſcriptoris. a Maſſa dicti ſunt *Maſſarij* in legibus Rotharis Longobardorum tit. IXL. & CVI. hodieq; colonos ab Inſubrib᾽ Maſſari ſolere vocari ſcimus. Plura haberem, ſed nolo diutius te iſtis meis nugis detinere Vale. Piſis VIII. Cal. April. MDCXXX.

Ioſe.

AVidiſſimè legi Fragmentum, & Chartam, quæ mihi voluiſti tranſmittere. Nihil certè mihi poterat gratius contingere. Quare tibi eo nomine me valde obſtrictum fateor, gratulorq; inclytæ Italiæ, quod inter armorum ſtrepitus nō ponat curam literarum, earumq; Sacrarum annitente Illuſtriſs. Cardinali Barberino, cui certè, & præſens ætas, & poſtera immortales gratias rependet. Suareſij etiam ſingularis eſt humanitas, ſi tibi opuſculum dedit, vt à me legeretur. Multa molior in publicis prælectionibus, & priuatis ſcriptionibus, quæ non ſinunt me aliorſum transferre cogitationes Inſpexi tamen hunc partum non oſcitanter. De Fragmento vix ſcio quid dicam. Videtur ſtylus laxior, & remiſſior, quam vt deceat argutiſſimum Afrum, cuius ſingula prope verba acuunt, & excitant eruditum lectorem, hic omnia languent, ſi paucula excipias, quæ non contēnendam antiquitatem redolent. Abſit tamen, vt quicquam pronunciem, & ſuſpicionibus indulgeam. ſcio, & experior ſcriptores non ſemper eodem animi motu appellere calamum ad commentandum. ceterum mihi planè hæſit aqua, quando legi illa, quæ in medium affert ex legibus ſcilicet Romanis, parum abeſt quin exclamem: ὐδὲν ὑγιὲς Quis vnquam audiuit *Falcidias, & ſempronias de Parricidis, Papinias de ſororum corruptoribus, & Cornelias de p. c?* ſunt iſthic apud vos homines Iuriſconſulti, omnibus diſciplinis inſtructi, omnium librorum helluones; à quibus ſi doctus fuero te rogante, magna lætitia perfundar. nam in Zaſio, Hottomanno, Sigonio, Manutio, Ant. Auguſtino, Vrſino, aliiſq; altū ſilentium de eiuſmodi legibus. Niſi ſatisfiat meę expectationi, contra animi ſententiam cogar de Auctore dubitare. incredibile namq; eſt Tertullianū conſummatæ eruditionis virum lapſum eſſe tam pueriliter, & ſe illis, contra quos ſcribebat, irridendum præbuiſſe. Venio ad chartam, quæ certè magni facienda eſt ob inſignē vetuſtatem. Exſcriptor Collectoris verba cum ipſo exemplari donationis coniunxit. nam illa colligentis ſunt: *Exemplar authenticū chartę vnde colligere eam potuimus Eccleſię Cornutianæ videlicet.* Deinceps ſequitur ipſa donatio. *vt diuino, &c.* videtur ei aliquid

deeſſe. ſic legimus: *Impēdo argentum quoq; ad ornatū eiusdē Eccleſię, uel celebritatem ſupradicti myſterij ſacroſancti*. Atqui in ijs, quæ prçcedunt nullius myſterij fit mentio, niſi velimus dicere referri ad illud quod dixerat: *ut luminaribus templum quotidię diuinæ Religionis ornetur.* nam luminaria accendebantur quotidię, quia *quotidie* (vt loqui ſolet S. Cyprianus) *offerebatur.* non etiam confundenda eſt ſubſcriptio, quæ incipit: *T. Valila Q. Theodouius V. C.* Cęterum obſeruatione digniſſima eſt conditio appoſita Donationi. nā Veteres Formulæ eiuſmodi largitionum hoc ferè modo habebant, vt diſcimus ex Formulario incerti auctoris edito ab eruditiſſimo Bignonio num. XXXV. *trado, atq; transfundo eo uidelicet modo, ut dum ego in caput aduccio ipſam uillam cum omni integritate uſualiter ſub prætextu ipſius Baſilicæ, tenere, & uſurpare faciam.* Abas verò vel presbyter Antiſtes (vt loquitur auctor ipſius chartæ) dabat donatori literas, quas vocant, Reuerſales hoc modo: *hanc Epiſtolam emittendam decreuimus, ut ipſum locum cum omni integritate, &c. diebus uitæ tuæ uſualiter tibi liceat.* At noſter Donator ſingularem conditionem apponit: *Quod ſi quicquam de alienatione à me prohibita fuerit forte tentatum, tunc ego, vel hęres, hęredesq; Cui, vel ſucceſsor, ſucceſsoresq; mei, vel qui illis deinceps ſucceſſerint, vniuerſa, quæ ſunt tenore comprehenſa, ad ſuum ius proprietatemq; reducant.* de qua conditione viderint alii lex eſt antiquiſſima. *vti quisq; rei ſuę legasſit ita ius eſto.* Vale Piſis VIII. Cal. April. MDCXXX.

Leonardo Pappo Romam.

ACCEPI à Ioſepho Perſico Fragmētum quoddā, quod dicitur eſſe Tertulliani, emiſſū à Ioſepho Maria Suareſio, qui non deſinit bene mereri de antiquitatibus ſacris, dū nobis eiuſmodi ſcripta profert. in eo ſic legimus: *ſed nec cælū Olympum uocatur.* nō male exiſtimauit Suareſius legendū Olympus. Ego puto poſſe retineri veterem lectionem. Dicitur namq; neutro genere Olympum propter adiectum cœlum, vt ſit Olympum inſtar nominis, quod à Grammaticis adiectiuum vocatur. & ne me putes

dispo-

ἀσφαλῶν profero exempla ſimillima ex optimis ſcriptoribus. Catullus in Epigrammate in Ment. *vſq; ad hyperboreos, & mare ad Oceanum* habemus *Oceanum mare,* cur non dicemus *Olympum cœlum* ? Horat. in Art. poet.

Aut flumen Rhenum, aut pluuius deſcribitur arcus, vbi Acro antiquus ſcholiaſtes: *notandum Rhenum genere neutro. Salluſtius in hiſtorijs nomen Danubium habet.* Porphyrio: *dixit Rhenum genere neutro, quia hoc eſt flumen.*

Video ab eodem ſcriptore accipi promiſcuè nunc. *commiſſum, & admiſſum* pro peccato, quod etiam redolet antiquitatem. Virgil. lib. IV. Georg.

Magna lues commiſſa. I. Æn.

Poſt mihi non ſimili pœna commiſſa luetis.

Ouid. I. Metam.

Ille quidem pœnas (curam hanc dimittite) ſoluit,
Quod tamen admiſſum, quæ ſit vindicta, docebo.

Et lib. 10.

Vel ſi credetis, facti quoq; credite pœnam,
Si tamen admiſſum ſinit hoc natura videri.

noſter verò ſic loquitur: *Truculentiſſimis commiſſis. lex Cornelia transgreſſi fœderis ammiſſum nouis exemplis damnaret.* Vale Piſis VIII. Cal. April. MDCXXX.

De Inſulis, & Inſularijs, *ad Leonardum Datum.*

POST nuperam prælectionem de Inſula Batauorum, quærebatur in corona ſtudioſorum de Inſulis,& Inſularijs, quorum crebra mentio apud Iuriſconſultos. Ego non pauca tunc protuli, quę, quia tunc aberas, apud te breuiter repetam. męretur enim tuus erga veterem Iuriſprudentiam Romanam affectus, & in eadem profectus, vt hæc tecum communicentur. inſularum fit mentio D. de peric. & commod. rei vend. l. *ſi vendita.* & l. 3. §. *effractura* de offic. præf. vigil. & alibi. apud Tacit. lib. XV. Annal. Sueton.

Nerone, cap. XXXVIII. Feſtum, verbo: *Inſula* Inſulariorum autem D. de vſu, & habitatione lib. XVI. §. Dominus, & l. IV. de offic. præf. vigil. & l. CLXVI. de verb. ſignif. Inſulam Cuiacius lib. 1. cap. 4. obſeruat. ait eſſe ædificium, quod proprio ambitu conſtat, vt enim inſula dicitur in mari, quia vndique aqua cingitur, neq; continenti nectitur; ita inſula in vrbibus, quod ſeiungatur à reliquis ædificijs. ſed non parum difficultatis habet, quod legimus longè plures fuiſſe Romæ Inſulas, quam domos. an vna domus plures inſulas habet? Quin potius contrarium videtur eſſe rationi conſonum, vt ſcilicet in eadem inſula plures domus contineantur. Plures verò Romę fuiſſe inſulas, quam domos docent P. Victor, & Notitia imperij, à quibus computantur Inſulæ *tota vrbe quadraginta ſex millia ſexcenta duę, domus mille ſeptigenta octoginta.* verum ſciendum eſt, quod quando dicunt fuiſſe plures inſulas quã Domos, ſermo eſt non de quocumq; ædificio. Domus enim ſunt ædes procerum, & Magnatum, non priuatorum. Vna namq; inſula complectebatur plures domos paruas, & ad vſum priuatum. Valer. Max. lib. 4. cap. 4. de Magnatum moribus loquitur, quando inquit: *Anguſtè ſe habitare nunc putat, cuius domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.* Apuleius lib. de Deo Socrat. vocat. *aulas æmulas vrbium, domos vice templorum exornatas.* Olympiod. in Biblioth. Photij adducit in hanc rem poetæ verſum.

Εἷς δόμος ἄςυ πέλει. πόλις ἄςεα μύρια τεύχει

Vna domus vrbs eſt. vrbs oppida pluria claudit.

Suet. Nerone cap. 38. vocat *domos priſcorum ducum*, quas ait arſiſſe *prępter immenſum numerum inſularum.* Quanta eſſet eiuſmodi aularum magnitudo intelliget, qui expendet Epigramma Martialis lib. 12. in habentem amœnas ędes:

Daphnonas, Platanonas, & aerias Cypariſſos,
Et non vnius Balnea ſolus habes.
Et tua centenis ſtat Porticus alta columnis,
Calcatuſq; tuo ſub pede lucet onix.
Pulucreumq: fugax Hippodromon vngula plaudit,
Et pereuntis aquæ fluctus vbiq; ſonat.

Ergo vna inſula complectebatur plures domos priuatas, & vna domus ſiue aula erat inſtar aliquot inſularum. ſed quęres, an vna aula haberet plures inſulas, ſiue plura ædificia proprio ambitu cō-
ſtan-

ſtantia? Reſpondeo. Nomen inſularum planè excludendum eſt, quando aularum fit mentio. interim dico, vnamquamque aulam proprio ambitu conſtitiſſe. Venio iam ad inſularios. Quinam iſti ſint non vna eſt auctorum ſententia. Alexand. ab Alexandro Genial. dierum. lib. 3. cap. 25. ſic ſcribit, vbi recenſet varia ſeruorũ genera: *Apolides, qui nullo iure ciuitatis funguntur, inq; opus publicum deportati, ſeu ad inſulas relegati ſunt, qui & inſularij appellati.* Sed hęc opinio reijcienda eſt. nam D. de verbor. ſignif. l. 166. ſic legimus *inſularius autem* (Seruus) *vrbanorum numero eſt.* D. de vſu, & habit. l. 16. §. 2. *Dominus proprietatis etiam inuito vſufructuario vel vſuario fundum vel ædes per ſaltuarium, vel inſularium cuſtodire poteſt.* Quid inſulari Seruo vrbano cum relegatione ad publica la opera in inſulis? Quin ſicut ſaltuarius eſt cuſtos fundi, ſic inſu rius tuetur inſulam. Quod clarius adhuc patet ex D. de offic. præfat. Vigil. l. 4. *Imperatores.* (teſte Vlpiano) *præfecto vigilum ita reſcripſerunt: Inſularios, & eos, qui neglegenter ignes apud ſe habuerint, potes fuſtibus, vel flagellis cędi iubere*: & ſupra l. 3. §. 1. *Et quia plerumq; incendia culpa fiunt inhabitantium, aut fuſtibus caſtigat eos, qui negligentius ignem habuerunt.* Quis non videt inſularios eſſe ſeruos cuſtodes inſularum, in quos animaduertebat præfectus vigilum, ſi negligenter functi fuiſſent ſuo munere? Cæterum alij erant Inſularij publici, alij priuati, vt diſcere eſt ex verbis Pauli de off. Pręfect. vig l. 1. *Erat autem familia publica circa portam, & muros diſpoſita, vnde ſi opus eſſet euocabatur; fuerant & priuatæ familiæ, quæ incendia vel mercedē vel gratia extinguerent.* Nolim tamen affirmare omnes iſtos cuſtodes fuiſſe ſeruos. non enim videtur ſeruis commiſſa fuiſſe cuſtodia portę & murorum. hoc dico inſularios ſeruos fuiſſe dictos, quod inſulas cuſtodirent.

Piſis, Apud Auguſtinum Timan. 1630.
Superiorum Permiſſum.

00 95555

1006. 40

Z